

DIPLOMA CAESAREVM CON-
cessum Erasmo Rheinholt Salueldensi.



ERDINANDVS DIVINA

fauente clementia Romanorum Rex semper Augustus, ac Ger-
mania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Sclauonia &c.
Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae
Brabantiae, Stiriae, Carinthiae Carniole, Marchio Morauiae &c.

Dux Lucenburgiae, ac superioris & inferioris Silesiae, V. Virtembergae & Teckae,
Princeps Sueviae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi & Goritiae, Land-
grauis Alsatie, Marchio Sacri Romani Imperij Burgouiae, ac superioris & infe-
rioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclauoniae, Portus Naonis & Salinarum &c.
Scimus & uita hominum necessariam esse doctrinam de uera anni ratione & de
terre magnitudine, & Regionum situ ac interuallis, & in omni uita numerorum
& Geometriae usum maximum esse, & has ipsas artes testimonia illustra esse de
Deo, & Regum cura conseruandas propter communem utilitatem generis hu-
mani, Sicut semper Laudatissimi Imperatores ac Reges earum propagationem ex-
imio studio adiuuerunt. Et nota sunt ac celebrata maiorum nostrorum, inclyti Al-
phonsi Regis Hispaniarum, & aliorum beneficia in hoc genere tributa uniuerse
posteritati. Et nos ut legibus & disciplinae restitutione munire Rempub. stude-
mus, ita huius doctrinae conseruatione posteritati libenter consulimus. Cum igitur
per homines fide dignos & uiros praecipuos ad nos relatum esset, nostrum &
sacri Imperij fidelem dilectum Erasmus Rheinholt Philosophiae Magistrum, non
solum praclare eruditum esse in Mathematicum doctrina, sed etiam utiliter Rei-
pub. in his artibus docendis seruire, & late semina earum sparsisse, & edidisse ac
editurum esse lucubrationes utiles, & humiliter ipsum orare, ut nostro Privilegio
editiones eius muniantur aduersus iniustam auariciam eorum, qui occasionem
damni praebent his, qui primas editiones magno labore ac sumptu adornant, Nos
quia & artium propagationi fauemus, & causam probamus, humiliter eius sup-
plicationi clementer annuimus. Ut autem sciremus libros utiles esse publicis studijs,
quos editurus est, Catalogum hunc nobis exhibuit. Nouae tabulae Astronomicae
forma Alphonsinae & Copernici, quae exhibent emendatum calculum motuum cae-
lestium omnium congruentem cum obseruationibus, tum priscis, tum recentibus,
Id quod nec Ptolemaicae tabulae praestant, nec Alphonsinae, nec ullae ex ijs propaga-
tae. Tabulae resolutae ex prioribus deriuatae, ex quibus facilima fit supputatio mo-
tuum